DISPUTATIO JURIDICA,

De

DOMINIO,

Quam

Consensu Amplissimi Jurisconsultorum Ordinis in Academia Wittebergensi florentissima,

Sub Præsidio

VIRI CLARISSIMI & CONSULTISSIMI,

DN.

GOTFRIDI REUTTERI,

J. U. D. inclytæ Facultatis Juridicæ ibidem Assessoris dignissimi, Præceptoris ac Fautoris sui colendi,

Publicæ disquisitioni subjicit ac proponit

M. JOHANNES CRATO

Witteberg. Alumn. Elect. Saxon.

in Auditorio JCtorum

Ad diem ult. Januarii, horis promeridianis.

WITTEBERGÆ,

Exscripta typis CHRISTIANI THAM,

ANNO M DC XXII.

IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI DEI NOSTRI,

Pr. inscript. Nov. 17.

QUIA universa benè geruntur & competenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo, *Imp. Justin. Nov. 6. in pr.* ejusque auxilium semper invocandum, *Nov. 85 in pr.* igitur DOMINII, non ultimum in universo juris nostri latifundio locum sibi vindicantis disquisitionem instituentes, meritò ab invocatione Supremi illius ac Præpotentissimi Dominantium Domini, DEI nostri gloriosissimi auspicamur: à quo actionum nostrarum bonum principium, melius medium, & optimum finem consequimur, *l. 56. in pr. C. d. Episc. & Cler. l. 1. & l 2. C. d off. Præf. Præt. Afr. c. in nomine. 1. in pr. dist. 23. c. 2. d. testib. & attest.* qui omnium scientiarum autor est, ac totius boni operis fundamentum, *c. cum Paulus. 1. q. 1.* omniumque gratiarum elargitor, *c. revertimini, 16. q. 1.* eundem humilima mente venerantes, ut IPSE, qui & res penitus desperatas donare; & virtutis suæ magnitudine consummare potest, *l. 1. §. hoc jus. 2. in fin. C. d. V. I. E.* mentem illuminet, linguam regat, calamumq; dirigat, quò hoc quicquid est studii & exercitii in ipsius gloriam, Reipub. literariæ commodum, nostramque utilitatem suscipiatur, procedat ac terminetur.

CUM in tractatione cujusque rei potissima pars videatur Definitio, juxta monitum *Ciceronis in offic.* disputationem à definitione semper debere proficisci, ut intelligatur id, de quo disputatur, *Eberh. in suis Topic. in loc. à Definit. in pr.* Quocirca operosiori quadam Etymologiæ inquisitione supersedendo, de qua ad sufficientiam videre licet apud *Clariss. Dn. Forst. Præceptorem quondam meum (νῦν ἐν ἁγίοις) honorandum, in lib. singul. d. Dominio c. 1. per tot.* dum quidam à domo; à domando alii; aliter item alii eam derivant: paucis æquivocatione ipsius perlustratâ, ad ipsam Dominii definitionem properabimus. Etymologia enim dat verbis proprium significatum, quando definitio non repugnat, *l. 99. §. 2. in verb. propriè. l. 87. l. 180. & l. 239. §. 8. cum utrobiq; not. per gl. ff. d. V. S. text. cum gl. in §. fin. c. 3. F. 2. Eberh. in loc. ab Etymol. n. 2. cum ibid. allegat.*

II. Quia verò Dominus dicitur habere dominium: (quemadmodum in hoc passu à derivatione seu conjugatis argumentationem procedere posse putamus, verbi gratia, est dominus. E. habet dominium, *arg. l. 1. §. pactum. ff. d. pact. l. 19. in fin. ff. d. reb. dub. l. 1. ff. d. tutel.* & contrà: Dominium non habet: E. non est dominus, *arg. l. 68. ff. d. usufr.*) & diversæ passim in jure personæ, quibus Domini vocabulum attribuitur, occurrunt; Dominii vocabulum æquivocum esse, nec nisi præmissâ in sua significata distinctione, definiri posse, facilè conspicitur.

III. Vox autem *Domini* ut quandoque Romanis fuit infensissima; ipsis etiam Imperatoribus nonnullis odiosa, ut constat de Augusto, Tyberio & Alexandro Severo: sic ab aliquibus magnificè fuit expetita; quemadmodum tradunt de Caligula, Domitiano & Diocletiano, *Forster. d. lib. c. 2. n. 1. 2. & 3.* frequenterque usurpata, ut apparet ex *l. 9. ff. ad L. Rhod. d. jact. l. 3. ff. d. his quæ in test. del.* Sic ergò dominii vocabulum *Dominationem publicam seu imperium magistratus* denotat.

Alio sensu quidam honoris ac respectus causa, Domini dicuntur, veluti Patronus à Cliente, *l. 22. ad L. Falcid.* Creditor à

debi-

debitore, *l.26.* & *l.seq.ff.d.constit.pecun* quemadmodum etiam Dominus audit, qui Feudum concedit, *c.1.§.1.c.4.* & *c.5.§.1. Feu.d.1.* & *c.5.F.2.* & alibi frequenter. Hoc itaque respectu sumitur *pro honore seu reverentia.*

Uxores item maritos suos hoc nomine vocasse liquet, *l.57.d.donat.int.vir.* & *uxor. l.88.§.2.d.leg.2.l.41.§.4.d.leg.3.* & contrà maritos uxores, quibus blandiebantur, Dominas appellasse, argumento est *d.l.41.in pr.d.leg.3 l.fin.§.1.ff.d aur.* & *arg.leg.* imò Romanæ Matresfamilias suo proprio respectu sic dicebātur. *l.38.§.4 d.leg.3.* & appellatione Dominorū, Præceptores cōtineri text. est clarus *in Auth. Habita. C. ne filius pro patr. vers. veruntamen.* Vocabulum item Domini, & quasi-Dominos, veluti, Tutores & Curatores complectitur, *l.157.in pr.ff.d.R.I.l.7.§.3 ff.pro empt.l.4.§.si tamen.ff.d.in lit.jur.* Quibus in locis Dominium accipitur *pro submissæ cujusdam affectionis testificatione.*

IV. Verùm missis his & similibus significationibus, cum Forst. *d.lib.c.2.n.13.* dominium accipimus pro *patrimonio privato*, seu pro eo quod singulorum in bonis est, sive proprietas sit, aut jus in re constitutum; seu pro jure, quod paterfamilias in domo sua habet, *per l.195.§.2.ff.d.V.S.* & *§.singulorum. Inst.de rer.divis* Unde etiam definimus, quod sit *jus Patrimonii rei dominandi*, *Forst.d.loc.n.19.*

V. Licèt quidem æquè difficile sit rem aliquam in jure Civili exactè definire; quàm est rarum, regulam ex Lege colligere, quæ nullâ sui parte infirmari possit, *Sturc.ad l.202.n.9.d.R.I.* cum omnis definitio in jure periculosa sit, *d.l.202.cum ibid.not.per gl.* inq; omni definitione Lex illa sapientiæ, dicta καθόλου πρῶτον observari debeat, ut termini sint convertibiles, *l.27.§.2.ff.D.aur.* & *arg.leg.* & quædam velut reciprocatio, *l.1 §.dolum.ff.d.dol.mal.* assignatam tamen Dominii definitionem ad conditiones bonæ definitionis quàm proximè accedere, adeoque nec latiorem, nec angustiorem suo definito esse, conspicuum evadet.

Quod autem Dominium *jus* sit, apertè probatur, *per l.126.§.1.ff.d.V.O.l.2.C.d.præscr.30.vel 40.annor.l.fin.C.ne rei domin.vel templ vindic.l.fin.C.d.fund.patrim.* Additur, quod sit *jus patrimonii*: quia hîc loquimur de dominio rerum privatarum, quæ sunt

 singu-

ſingulorum, *l. 1. in fin. pr. ff. d. diviſ. rer.* & in bonis & patrimonio noſtro eſſe dicuntur, *pr. Inſt. d. rer. diviſ. l. 16. ff. ad SC. Trebell. l. 49. d. V. S.*

VI. Non autem ſufficit, ut definitio evacuet definitum ſecundum genus, ſed idem etiam ſecundum differentias præſtare debet, *Eberb. in Top. in Loc. à defin. n. 2.* hoc eſt, ut paſſim Philoſophi inculcant, nota perfectæ definitionis cenſetur, non ſolùm quando monſtrat cum quibus definitum conveniat; ſed etiam quando illud ab omnibus aliis diſtinguit: quæ nota & in allata noſtra definitione deprehenditur. Quando enim dicitur *jus dominandi*, partim *finis* innuitur; quippe qui eſt omnis acquiſitionis, *pr. Inſt. de uſucap. in fin. §. igitur liberi. & §. ex his itaq. Inſt. per quas perſ. cuiq; acquir. l. 1. ff. d. uſuc. l. fin. C. d. cenſib.* partim diſcernitur illâ notâ *à modis idipſum acquirendi*, veluti Uſucapione & Traditione: quarum finis non eſt ipſa dominatio, ſed ut in nos facultatem iſtam transferant, *l. 3. ff. d. uſuc. l. 20. C. de pact.*

Diſcernitur etiam *à poſſeßione*, quæ eſt detentio rei cum affectione habendi, *l. 1. ff. d. acquir. poß. cum ſimul.* quia poſſeſſor eſſe poteſt, licèt dominus non ſit, *l. 3. §. 2. ff. uti poßid l. 22. §. 1. d. nox. act.* & nihil commune habet cum proprietate, *l. 12 §. 1. ff. d. acquir. poß.* Deniq́ue ſejungitur etiam *ab obligatione*, ut conſtat ex *l. 3. ff. d. O. & A. junct. l. 1. §. fin. ff. d. reb. eor. qui ſub tutel. l. 27. §. 2. ff. d. aur. & arg. leg.*

VII. Majoris perſpicuitatis ergò non incômodè hîc quæritur, *an Dominium* definiri queat, quod *ſit jus de re corporali liberè diſponendi, re abutendi, eamq; alienandi & vindicandi?* Nos negamus: cum Dominium ſit etiam rerum incorporalium, veluti Uſusfructus, *l. 3. ff. ſi uſusfr. pet. l. 4. d. uſufr. l. 8. in pr. ff. d. reb. auct jud. poß. l. 22. ff. d. aq. & aq. pluv. arc.* & Servitutum, *l. 118. d. V. O. l. 15. §. 8. Quod vi aut clam. l. 13. §. 1. ff. d. damn. inf.* Sic etiam domini inveniuntur, qui liberè de rebus ſuis diſponere non poſſunt, *t. t. Inſt. quib. alien. lic. vel non. l. 114 §. 11. ff. d. leg. 1. l. 48. ff. d. hered. inſtit. t. t. C. d. præd. minor. ſine decret. non alien.* Abutendi facultatem quod ſpectat, patet, quod Uſufructuarius ſit dominus, & tamen abuti non poſſit, *pr. Inſt. de uſufr. l. 1. l. 9. in pr. l. 15. §. 4. & §. 6. ff. eod. l. 11. ff. uſufr. quemadm. cav.*

Aliena-

Alienationem item non esse de definitione dominii, inde liquet, cum domini reperiantur, qui tamen alienare nequeant; imò etiam res aliena alienari possit, *l.28.ff. d.contrah. empt. l.11. in pr. & §. 2. ff. d. act. empt.* quandoque etiam dominus alienare vetetur, *l.7.C.d.agric. & cens. lib.11.* Vindicatio demum effectum magis, quàm substantiam ac naturam dominii concernit, *§. omnium. Inst. d. act* & ab accidenti exsistit, facto videlicet ejus, qui nobis possessionem negat, & talis est effectus, qui domino ne quidem optandus, Gœdd. *ad l.49. n.9. d. V.S.* Gilk. *ad tit. Inst. d.rer. divis. n.35.* Quæ omnia latiùs prosequitur Forster. *d.lib.c.4. à n.1. usq. ad n.18.*

VIII. Definitionem jure excipit Divisio. Ac licet dominium in se consideratum unicum sit & simplex numero & substantiâ, *l.14. §.2.ff.d.exc.rei.jud.*Gilk.*in tr.d præscript.p.1.c.3.n.23.* Harpr. *ad pr. Inst. d. R. D. n.53.* diversas tamen qualitates habet, Gothofr. *ad l. 20. C. d. pact.* proinde etiam variis modis distribui solet. Nec enim propterea, quòd modi dominium acquirendi sint vel Jurisgentium, vel Juris Civilis, *§.singulorum Inst. d. R.D.l. 23. in pr. ff. d. R. V.* ipsum quoque dominium aliud erit Jurisgentium, aliud Juris Civilis: modi siquidem constituendi rem cum ipsa re confundi non debent, *Pac. cent.1.q.20.*

Sed *cuinam Juri, Naturali, Gentium vel Civili, dominium est adscribendum?* Respondemus *cum Forst. ex th. 6. disp. d. dom. libr. subject.* Dominium quâ constitutionem est de Jure naturæ, naturantis & naturatæ, hoc est, de divino, naturalique jure; quâ comprobationem, de Jureg. & Civili.

IX. Sic itaque *ratione causæ efficientis,* quod ad modos acquirendi attinet, Dominium aliud erit Jurisgentium; aliud juris civilis. *Forst.d.lib.c.5.n.3.seqq.Ratione materiæ,* aliud est proprietatis sive rei seu corporis; aliud juris in re constituti. Quia enim dominus & dominium proprietatis passim leguntur, *l. 16. §.1.ff.d.usu & habit.l.5.§.2.& l.20.ff.d.dam.inf.l.5.ff.si usufr.pet.l.17.quib. mod.usufr. amitt.l.28.§. 1.d. usur.l.4. C. d. probat.* proprietas non erit ipsum dominium: cum non rectè diceretur dominium dominii, & proprietas proprietatis, *Johan. de Castill. in tr. d. usufr. c.75.*

c.75. aliud proinde erit dominium, aliud ipsa res, cujus est dominium. *Ratione formæ* dominium statuitur aliud Directum, aliud Utile: quæ distinctio licèt non sit textualis, nec *in ff.* nec *in C.* inveniatur, *Benedict. Bonon. d. censib. art. 36.* & verisimile, quod ex eo tempore, quo Longobardi Romanorum provincias pervagati, cum belli jure eas sibi subjecissent, earundem etiam dominatum sibi tantum vindicassent, Dominii utilis & directi verba in usum venerint antea non audita, *Heig. p. 1. q. 1. num. 40.* Magistralis tamen est & usu communi recepta, nec ab ea facilè discedendum, *Joh. de Castill. d. tr. c. 75. n. 26. arg. l. 35. seqq. ff. d. LL. l. 34. d. R. J.*

Ratione effectus aliud est plenæ proprietatis, cui adjunctus est ususfructus; aliud nudæ proprietatis, detracto scilicet usufructu. Et hæc distinctio textib. claris probatur, *§. 1. Inst. de usufr. l. 28. de usur. l. 3. §. illud. C. de secund. nupt. l. 72. ff. d. usufr. l. 17. in pr. & §. 2. & l. 22. ff. eod. l. 4. de usufr. accresc. l. 19. l. 26. d. usufr. leg. l. 66. l. 78. ff. d. jur. dot.* Invenitur quidem vox, Dominium plenum, apud JC. *Modest. in l. 4. ff. d. alim. vel cibar. leg.* verùm Dominium nudum, vel, minus plenum, non memini quod legerim, inquit Forst. *d. cap. 5. n. 52.* unde & ipse superiorom divisionem approbat. Quò spectat, quod Joh. de Castill. *in tr. d. usufr. c. 75.* refert: etsi quis solam proprietatem habet, tamen plenum est proprietatis dominium.

X. Postquam jam cognovimus, quid sit Dominium; quotupliciterq; distingui soleat: videamus porrò de Personis ad illud acquirendum idoneis. Idoneæ autem sunt omnes, quæ non specialiter dominium acquirere prohibentur, quippe cum ita in jure comparatum sit, ut si quæratur, quid alicui in jure privato liceat, omnia cuivis licere putentur, si leges non prohibeant, *arg. l. nec non. 28. §. quod ejus. 2. ff. ex quib. caus. major. l. 43. §. 1. ff. d. procur. cum simil.*

XI. Dominium sibi acquirere prohibentur, quibus commercium rei est interdictũ *vel ratione personæ*, veluti Manichæis, Donatistis & aliis hæreticis. Cum enim publicum hoc sit crimen, quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam, *l. Manichaeos. 4. §. 1. & seqq.* longè quippe gravius

est æter-

est æternam, quàm temporalem offendere Majestatem *Auth. Gazaros C. de hæret. & Manich.* unde infamiâ notantur, *l.1.C.d.sum. Trinit.* & ab omni successione quolibet titulo veniente amoventur, & facultas ipsis adempta emendi, vendendi, contrahendi, *l.1.l.4.§.1.& seqq.l.22 C. d.hæret.& Manich.c.sicut ait.extr.eod.* vel *ratione sui facti*, ut in insulam deportatis, atque, aliis qui ἀπόλιδες dicuntur: hi ab earum rerum acquisitione quæ jure civili est, prorsus removentur; licèt ea quæ jurisgentium sunt, retineant, *l.17.§.1.d.pœn.l.15.d.interd. & releg.* maximè cum jure novo nemo ingenuus fiat servus ex supplicio, *Nov.22.c.8.* Sunt etiam alii, qui turpe quid non admiserunt; conditione tamen personæ suæ & propter operam quam publicam susceperunt, acquirere prohibentur, ob metus extorsionisvé suspicionem, de quibus *vid.l.62.ff.d contrah. empt.l.33.ff.d.reb.cred. l.46.§.2.d.jur.fisc. l.un.C.d. contract. judic.l fin C.d.rescind. vendit.*

XII. Porrò dominium sibi acquirere prohibentur quædam personæ, quæ subjectæ sunt alienæ potestati, *vel Ecclesiasticæ*, ut Monachi, qui monasterio ingressi, ipso ingressu se suaque dedicant Deo, nec de his testantur, utpote nec domini rerum, *Auth.ingressi.C.d.SS.Eccles.* nihil etiam proprium habere possunt, sed quicquid acquirunt, monasterio acquirunt, *c.cum ad monasterium d.stat.monach.& ibid.* Panorm. *n 2.* Forst. *d.domin. c.6. n. 13. & seqq.* ubi multas ampliat. & limitationes tradit. *vel Civili*, eique *vel dominicæ*, ut servi, de quibus res non est controversa: nihil enim suum habere possunt, sed quicquid acquirunt, dominis acquiritur, *l.10.§.1.ff.d. A.R.D.§.item vobis.Inst. per quas pers. cuiq; acquir.* & jure civili habentur pro nullis, *l. 32. l. 209. ff. d. R. I.* vel *Patriæ*, ut Filiifamiliâs, cum distinctione tamen inter peculium castrense, & quasi-castrense; item inter bona adventitia & profectitia.

XIII. Et quidem ex bonis castrensibus filiorum nihil Patri debetur, *l. 10. ff. d. castr. pecul.* nec in ijs ullum jus patris est, *l.3.C.eod.lib.12.* nec conferuntur, *l.1.§.15.ff.& l.4.C.d.collat.bonor.* in castrensi enim peculio vice patrumfamilias funguntur, *l. 2.ff. ad SC.Macedon.* Ad similitudinẽ peculii castrensis & quasi castrense

togatæ

togatæ militiæ in uſum venit, *l. fin. C. d. inoff. teſtam* quod per omnia ferè cum illo æquiparatur, *l.6. in fin. pr. C. d. bon. quæ liber. l.7. C. eod.* Differunt tamen, quod in illo filiusfamilias miles citra omnem ſolennitatem teſtari poſſit, *l.1. l.15. §.1. l.40. & t t ff. d. teſt. milit.* in hoc verò filiusfamilias non aliter, niſi teſtamento juſto & ſolenni teſtatur, *l. fin. §. in his itaq; verſ. ſecundum leges. C. d. inoff. teſtam. l.34. in fin. & Auth. Presbyteros. C. d. Epiſc. & Cleric.* Bona profectitia quod ſpectat, ex his quod filius acquirit, ſtatim ad patrẽ redit, ita, ut ne momento quidẽ in perſona filij conſiſtat *l.79. ff. d. acquir. hered. l. cum oportet. 6. C. d. bon. quæ lib. §.1. Inſt. per quas perſ. cuiq; acquir.* In adventitiis verò bonis proprietate remanente penes filium, uſusfructus ſolus patri acquiritur, *d. l. cum oportet. 6. C. d. bon. quæ liber. d. §.1. Inſt. per quas perſ.* interdum tamen etiam uſusfructus bonorum adventitiorum filio quæritur, quod quibus modis fiat, optimè tradit Forſter. *d. c.6 n. 49.*

XIV. Licèt autem ſervi ſibi ipſis nihil acquirant: dominis tamen per ipſos acquiritur, tàm poſſeſſio, quàm per eorum longam poſſeſſionem dominium, *l.10. §. 1. & 2. ff. d. A.R.D.* quam materiam latè proſequitur Forſt. *d. loc. n.54. & mult. ſeqq.*

Acquirimus etiam quandoq; per liberam perſonam, quæ juri noſtro nihil eſt ſubjecta: veluti per Procuratorem, Tutorem, Curatorem poſſeſſio nobis acquiritur *l.1. C. per quas perſ. nob acquir.* & per conſequentiam interdum dominium, ſi dominus ſit, qui tradit, aliàs uſucapiẽdi conditio, *§ ex his. Inſt. per quas perſ l.20 §. fin. ff. d. A.R.D* Ad hanc autem acquiſitionem requiritur, tùm, ut noſtro, non etiam ſuo nomine poſſeſſionem nacti ſint, *l.1 § 20. ff. d. acquir poß. l.59. ff. d. A.R.D* tùm, ut nos ipſi velimus poſſidere, quod alius extraneus noſtro nomine poſſidere cœperit, *l 13. ff. d. A R.D l.38. ff.17. l. 126. § Chryſogonus. verſ. plane ſi liber homo. ff. d V.O.* Quæcunque enim gerimus, cum ex noſtro contractu originem trahunt, niſi ex noſtra perſona obligationis initium ſumant, inanem actũ noſtrum efficiunt, *l. 11. ff. d O. & A.*

XV. Placet ſubjungere quæſtionem materiæ huic haut inconvenientem, nempe, *An mandatum Procuratorium abſq; rati clauſula mutilum ſit ac vitietur?* Putamus quod non, tùm, quod man-

mandato per sese tacitè insit ratihabitionis promissio, *l. si procurator. 6. ff. d. condict. indeb.* expressio autem eorum, quæ tacitè insunt, nihil operatur, *l. 3. d. leg. 1. l. 22. d. adopt. l. 3. & ibi Bald. C. d. fidejuss.* tùm etiam, quod clausulæ accessoriæ & executivæ principalem dispositionem non alterent, augeant vel amplificent, *clem. 1. & ibi gl. in fin. d. præbend.* Rol. à Vall. *cons. 8. n. 15. vol. 1.* Menoch. *d. præsumpt. 115. n. 43.* Schrad. *d. feud. p. 2. c. 3. n. 2.* Pluribus tractat Rauchb. *p. 1. q. 2.* ubi etiam contrarijs respondet.

Et hæc de Personis.

XVI. Sic ergò quarum rerum dominium acquirere liceat, inquirendum sequitur: quia verò hoc absq; prævia divisionis rerum cognitione vix fieri potest, divisiones earum in transitu quasi perlustrabimus. Res sunt vel divini juris, vel humani, *l. 1. in pr. ff. d. divis. rer. & l. 1. in pr. ff. d. interd.* Res divini juris *vel simpliciter & absolutè* tales sunt, veluti res Sacræ, quæ publicè usibus divinis sunt consecratæ, quales sunt ædes sacræ, libri sacri, vasa ad sacramentorum usum necessaria, *d. l. 1. ff. d. R. D. l. 6 §. 3. l. 9. in pr. & §. 1. ff. eod §. sacræ. Inst. eod. l. fin. Ut. in poss. legator. Nov. 67 c. 1.* & Religiosæ, quæ humationi & sepulturæ sunt, attributæ, *§. religiosum. Inst. de rer. divis. l 6 § 4. ff. eod. & t. t. ff. d. relig. & sumpt. fun.* Vel *quodammodo,* ut res sanctæ, veluti Muri & Portæ, *§. sanctæ. Inst. d. R. D. l. 1. in pr. ff. eod. l. 2. & l. 3. ff. ne quid in loc. sacr.* sancta enim propriè dicuntur, quæ neq; sacra sunt, neq; prophana, *d l. 9. §. 3. ff. d. rer. divis.* sed sanctione quadam confirmata. Sic Leges sanctæ sunt: sanctione quadam sunt subnixæ, *l. sanctio. 41. ff. d. pœn. l. 1. §. 5. ff. d. extr. cognit.* Item propugnacula, *d. l. 2. ff. ne quid in loc. sacr.* Donell. *lib. 4. c. 1.* Ecclesiasticæ quoq; res sive mobiles, sive immobiles sunt quasi-divinæ, ut ecclesiastica prædia, quæ quidem usibus privatorum serviunt, destinata tamen præcipuè ad alendos verbi divini ministros & pauperes: sunt enim ad cultum divinum non immediatè deputata; sed mediatè, nempe ad usum servientium Deo pertinent, *Barth. in Auth. hoc jus porrectum. C. d. SS. Eccles.*

XVII. Res humani juris vel corporales sunt, & tangi possunt, etiamsi actu non semper tangantur, vel incorporales,

quæ tangi nequeunt, quales sunt quæ in jure consistunt, *L.1.§.fin. ff.d.R D.§.1.Inst.d reb.corp.& incorp.* Utræque sunt vel Publicæ, vel Privatæ, *d.l.1.§ fin.ff.d.R.D.l.1.§ 2.ff.d.just.& jur.§.fin.Inst.eod. Publicæ* res quædam tales sunt *usu & patrimonio*, veluti res fisci, civitatis, publica prædia, vectigalia, *l.6.in pr.ff.d contr. empt.l.17 d.V.S.l.1.ff.d loc.publ.fr* quædam *usu duntaxat* publicæ sunt; & *vel* omnium hominum, ut aër, aqua fluminis, mare, litora maris, *§.1.Inst.d rer.divis.l.2 §.1.ff.eod.l.14.ff.d.A.R.D. vel* aliquorum: *hæq; vel* totius alicujus populi, sicut est flumen perenne, portus, alveus, riparum usus; *vel* universitatis cujusdam; veluti, theatra, stadia, forum, campus Martius Romanus. *Forster. d. dom. c. 7. n. 41.* ubi jura ad singula allegat.

XVIII. Privatæ res sunt, quæ censentur in bonis atque dominio singulorum, *l.1.ff.d.rer.divis.§.singulorum.Inst. eod.* & sunt vel mobiles vel immobiles, *l.15.§. 2.ff. d. re judic* Vult. *lib.1. I. R. c.62.n 5.* Res mobiles proprietate quidem significationis distinguuntur in Moventes, quæ se ipsas movent, & quæ ab aliis moventur, *l.1.§.1.ff.d.R V.l.1.in pr ff.d.ædil. edict.l.15.C d. SS.Eccles. l. 49. § 2.C d. Episc. & Cleric.& similib.* usu tamen juris plerumque confunduntur, *l.15.§. 2.ff d. re judic. l. 93. d.V.S.l.fin.§.2.ff.de requir. reis,* ubi fructus moventium nomine continentur: & *in l. 2.ff.d.supell. leg.* res non animales dicuntur moventes.

XIX. Immobiles res sunt aut *tales*, veluti res soli, ut fundus, prædium, *l.7 d.usufr.l.1.§.1. usufr.quem. cav. l.1. d. rei vindic. l.1.d. condict. tritic.* & solo cohærentes sive contentæ, ut fructus pendentes & arbores in sylvis, *l. 44. d. R. V. l.fin.§.non solum, & §. fructus.ff.quæ in fraud.creditor.* granaria itē, *l. 18.ff.D.act. empt.l.60 d. A.R.D* Arundineta & salicta, atq; similia nondum cæsa, *l. 12.§. ea vero.11.ff. d. instr. vel instrum.leg.* aut *pro talibus* habentur, nempe res incorporales, quæ in jure consistunt, ut servitutes *l. 86.ff.d. V.S.* Feudum de Camera, aut de Cavena, *2.F.1.in fin.* Emphyteusis, *Nov. 7. c 3. in pr. Nov. 120.c.1.* & alia publica jura, veluti portoria, vectigalia, jus venandi, jus piscandi, jurisdictio, Regalia, Schrad. *d feud.p.3.c.2.n.5.* Forster. *d.c.7. n.105.*

XX. Haut inconveniens huic loco erit quæstio, *An pecunia rebus mobilibus, an verò immobilibus accensenda sit?* Putamus quod

ad res

ad res mobiles referri debeat, *per Nov. 22. c. 45. verſ. ſi verò*, ubi dicto ALIIS, quæ eſt ſimilitudinaria, *l ſi fugitivi. 3. C. d. ſerv. fugitiv.* & repetitiva ſimilium, *Pariſ. vol. 3. conſ. 109. n. 15*, importat ſimilitudinem expreſſorum, & refertur ad generalia, quæ ſubjiciuntur, *c. ſedes Apoſtolica. 15.* & ibi Felin. Panorm. & alij, *d. reſcript. & c. 2 eod. tit. in 6.* Forſt. *d. c. 7. n. 50.*

Sed *quid de pecuniâ ad emptionem prædiorum deſtinatâ, ſtatuendum?* Et hæc inter res mobiles erit computanda: *l. cum in fundo 78. § ſi fundus. 4. ff. d. jur. dot. §. conſtituitur. Inſt. d. uſufr.* Gail. *lib. 2. obſ. 11. per Aut. ibid. alleg.*

XXI. *Nomina & actiones utrius generis rebus accenſeri debeant,* controvertitur? Putamus pro ratione ſubjecti quæſtionem decidi poſſe, ita, ut ſi actiones competant pro re mobili, pro mobilibus judicentur; ſi res immobiles vindicentur, immobilibus æquiparentur. Coler. *deciſ. 286. n. 157.* Gail. *d. obſ. 11. n. 10. per jur. ibid. add.*

XXII. De reditibus annuis quæritur, *An mobilibus annumerandi?* Gail. *lib. 2. obſ. 10.* tradit, quod inter immobilia computentur, ſi non ſint ad modicum tempus conſtituti, *per jura ibid. alleg.* & hoc limitat quoad reditus nondum ceſſos: ceſſi verò reditus, pro mobilibus habeantur, inſtar fructuum à ſolo ſeparatorum, qui & ipſi pro mobilibus reputantur, *arg. l. 44. ff. d. R. V.* Quod ſi reditus ſive penſiones partim ceſſæ ſint, partim non, judicandum de ijs pro rato temporis. *l. Julianus, 13. §. 10. ff. d. act. empt. l. fin ff d. jur. fiſc.* Gail. *d. loc. n. 4.* Quæ ſententia à jure Saxonico non abhorret, ubi etiam annui reditus ſive conſtituti in rebus immobilibus, ſive mobilibus, modò perpetui ſint, immobilibus annumerantur, & qui vivente muliere peti potuerunt, ſuperſtiti marito; reliqui, heredibus mulieris adjudicantur. *Conſtit. Elect. 24. part. 3.*

XXIII. De partibus metallicis diſputari ſolet, *an inter mobilia, vel immobilia ſint referenda?* Statuitur communiter, quod ipſæ partes metallicæ, quæ Kucfus vulgò dicuntur, rebus immobilibus annumerentur; fructus verò ex fodinis percepti, videlicet aurum, argentum, metallum & alia eruta, vulgo Außbeuth / pro rebus mobilibus cenſeantur: id quod *de Jur.*

Sax. extra controversiæ aleam positum videtur, *per Constit.* 25. *part.* 3.

Neque sine ratione. Constat enim de jure communi quod argentifodinæ & lapicidinæ sint res immobiles, *text. expres. in l.* 3. § *ult. in fin. ff. d. reb. eorum quæ sub tutel.* unde etiam inter Regalia referuntur, *c. un. quæ sint. Regal.* 2. *F.* 56. Igitur talis quoque erit quælibet illarum pars sive jus contentum in illa: idem enim semper jus est de parte, quod de toto, *l.* 76. *ff. d. R. V.* & turpis est pars, quæ non congruit suo universo, *Cyn. in l. cogi.* 11. *C. d. petit. hered. col.* 2. Zobel. *part.* 3. *diff. jur. Civil. & Sax. diff.* 10. ubi *n.* 9. idem ex modo agendi deducit: cum nullibi permittatur de ijs agi, nisi in montanis, ubi fodinæ & partes sunt sitæ.

XXIV. His prælibatis, quarum rerum dominium acquirere liceat, porrò videndum. Acquiruntur autem regulariter omnes res tàm corporales, quàm incorporales; tàm mobiles; quàm immobiles, *l.* 1. §. *fin. cum seqq. l.* 20. *& l. seq. ff. d. contrah. empt.* extantes & futuræ, *l.* 8. *ff. d. tit. l.* 12. *ff. d. act. empti.* Hereditas quoque, modò existat, *l.* 7. *ff. d. hered. vel act. vend. & t. t. C. eod.* Nomina quoque acquiri possunt, *l.* 4. *l.* 6. *l.* 14. *l.* 19. *l.* 23. §. 1 *ff. d. hered. vel act. vendit. l.* 7. *&* 8. *C. eod.* actiones tàm personales, quàm reales, *l. fin. C. eod. tit.* Annui etiam reditus *l.* 11. §. 1 *ff. d. pign. l.* 33. *ff. d. pignor. act. l.* 4. *l.* 14. *l.* 17 *C. d. usur.*

XXV. Dominium autem acquirere non licet rerum specialiter alienari prohibitarum, *vel conditione sua*, quæ privatis usibus & commercio sunt exemtæ, ut liber homo, *l.* 6. *in pr. ff. d. contrah. empt. arg. l.* 9. §. *pen. ff. d. stat. liber. junct. l.* 103 *d. V. O. l.* 106. *ff. d. R. I.* exceptis casibus *in* §. *pen. Inst. d. jur. pers. & l.* 2. *C. d. patrib. qui fil. distrax.* Mare, littora, flumina, res sacræ, religiosæ & sanctæ, viæ publicæ, campus Martius, forum, Basilicæ, *text. sunt, in* § *littorum & seqq. Inst. d. rer. divis.* §. *non solum Inst. d. legat. l.* 62. § 1. *ff. d. contrah. empt. l. inter.* 83. §. 5. *d. V. O. l.* 39. § *pen. & ult ff. d. legat.* 1. Vel quod *alienatio earum sit interdicta*, idq; vel *Lege*; ut fundus dotalis, *l.* 1. *& t. t. ff. d. fund. dotal. pr. Inst. quib. alien. lic.* res minorum, & quidem non tantùm prædia, sed etiam res mobiles, quę servando servari possunt, quippe & eas sine decreto alienare vix licet, *l.* 1. *& t. t.*

ff. d. reb.

ff.d.reb.eor.qui sub tutel.l.22.C.d.admin.tutor. vel *domini voluntate*, si quis propter certã causam quã expressit, alienari vetuit, *l.114.§.2.d.leg.1.*Cujac.*lib.10.obs.23.* Forst. *d.c.7.n.115.* *Tantum quoq; de Rebus.*

XXVI. Visis jam personis ad dominium acquirendum idoneis; rebusq́; quarum dominium acquirere liceat, cognitis; succedunt proximè Tituli sive causæ constituendi dominium diversæ à modis acquirendi. Constitutionem namq; Dominii cum ejusdem acquisitione, distincta quippe cum sint, confundere non licebit: id quod liquet *ex §.per traditionem. Inst. d.* R. D. *l.31.ff. d. A.* R. D. & exemplum dari potest in feudis; similiter in servitutibus, quarum rerum constitutionem ab earundem acquisitione diversam deprehendimus.

XXVII. Causa constituendi dominium nihil aliud est, quàm titulus dominii translativus, seu ad dominium transferendum habilis. Tales numerantur Emptio & Venditio, *l.3.§.1.l.7.§.11.ff.d.publ. in rem act. t.t.ff. pro empt.* semper enim in emptione id agitur, ut res fiat nostra: nec conveniri potest, manente hâc contractus specie, ut rei venditæ dominium in emptorem non transferatur, *l.pen. §. ult.ff.d contrah. empt.* Licet vero per emptionem res non fiat nostra sine traditione, *l.6.C.d.hered.vel act.vend.l.20.C.d pact.*& emtio-venditio species alienationis perfecta & absoluta censeatur, cum res tradita, & in emptorem possessio rei venditæ translata sit, *l.1.l.11.§.2.ff.d.act.empt.* adeoq́; traditione & satisfactione perfectionem accipiat, *Bald. in l.ab emptione.58.ff.d.pact.* nihil tamen obstat, quò minus ex solo contractu emptionis-venditionis dominium emptori constitui possit, tùm propter rationem superius adductã, tùm etiam, quia emptio-venditio dicitur, ante quoque quàm res vendita tradatur, *§.1.Inst.d.empt.l.67.in pr.d.V.S.* tum etiam, quia si res vendita non tradatur, ad id quod interest, agitur, *l.1.ff.d.act. empt.l.6. C. de hered. vel act. vendit.*

XXVIII. Porrò dominii translationem arguunt, Æstimatio, *l.10.§.4.& 5.ff.d.jur.dot.l.5.C. eod.* quippe venditionem inducit, *dd.ll.* unde & actio ex empto datur post rem æstimatò traditam, *l.16.ff.& l.10.C.d.tit.* eaq; res vicissim alienari potest, *l.11.ff. d.fund.dotal.* Permutatio, *l.1.in fin.cum l.seq.ff.d.rer.permut.* Wesenb.

cons.

conf.186.num.14. Dotis datio, *t.t.ff.pro dot.l.si ego Sejæ.* §. *1.ff.d.jur. dot. l. 1. C.d.fund.dotal.* In solutum datio, *l.4.§. 31.ff. d. dol. mal.& met.exc.l.24.in pr.ff.d pign.act.l.ult.ff.ex quib. caus.in poss. eat.l.4. C. d. evict.l.8.C.d.sent.& interl. om.judic.* Documentorum traditio *l.9.§. 3.d.A.R.D.l.74.ff.d.contrah. emt.l.1.§. pen. d. acquir.poss.c.inter dilectos. 6.& ibid. Cca.com. d.fid. instrum. Forst. cap. 8. n. 22. per aut. ibid. alleg.* Transactio, *l.33.l.35.C.eod.cum similib.* Adjudicatio, *l.21.§.3.ff.d.ann. leg.l.1.ff.d.jurid.§.si familiæ.Inst.d off.jud* Mutuum, *l.2.§.fin.ff.si cert. pet.* quippe in mutuo ex meo tuum fit, *d § fin.* pronomẽ autem MEUM denotat dominium, *l.27.§.2.ff.d.aur.& arg leg.l.2.§.fin.d. leg.1.* Hereditatis delatio, ad quam tamen acquisitio requiritur, *t.t.ff.& C.d.acquir. hered.* Forst. *d. cap.8. n.28.* Et si qui similes tituli ad dominium transferendum habiles occurrunt, quos fusius persequi chartæ angustiâ prohibemur.

XXIX. Sunt quidem etiam causæ sive tituli, qui tamen non ad dominium constituendum, sed ad possessionem solùm sufficiunt, ut Depositum, *l.17.§.fin ff.depos.§.præterea. Inst.quib.mod. re contrah. obli.* Commodatum, *l.8.& l.9.ff. eod.* Precariũ, *l.1.in fin. ff.d.precar.* Locatio, *l.39.ff.loc.cond.l.20.C.eod.* Pignus *l.35. §.fin. ff.d. pign. act.* scilicet conventionale; licèt dominium juris creditor in re habeat, *l.5.§.fin.l.13.§ 1.l.19.& l.20.ff.d. damn.inf.* cum pignora vindicari possint, *l.16.§.3.& l.28.ff.d.pignor.l.12.§. qui pignoris.ff.quib. mod.pign.vel hypoth.§.item serviana.Inst.d. act.* In pignore verò Prætorio sive judiciali dominium transit, *l.15.§.3.ff.d.reb. aut.jud.poss. & ibid.gl.* Per hypothecæ quoq; constitutionem dominiũ juris adeò acquiritur, ut si deinceps res illa alteri vendatur & tradatur; hypothecarius tamen propter prius in se translatum dominium præferatur, nec locum sibi vindicet *dispositio l. quoties.15. C. d. rei vindic.* quia in hypotheca jus ex solo titulo constituitur absq; traditione, *l.9.in pr.l.12 §.fin.ff.qui pot.in pign.l.16.§.3. d.pignor. l.14.& seq.C.eod.* Et est species alienationis, *l.fin. C.d.reb. alien.non alien.ibi hypothecam vel pignoris nexum.* Forst. *d.c.8.n.49.*

XXX. Cæterum circa præsentem materiam non abs re quæritur, *An emptio cum pacto retrovenditionis facta, dominium transferat?* Putamus quod sic, *per §. per traditionem cum §. seq. Inst. d.R.D.l.2.C.d.pact. inter empt. & vendit.& ibid. Dd.com.* Emptio

eni-

enim celebrata dici non potest, ni dominium in emptorem transferatur, *l. pen.* §. *ult. ff. de contr. empt.* hinc etiam fructus, quàm diu possidet, lucratur, *d. l. 2. & ibi Dd. & c. ad nostram de emption.* idque ex natura emptionis, *l. 5. C. de act. empt. & t. t. ff. & C. d. per. & com. rei vend.* fructus enim dominium sequuntur, *l. 33. & l. 35. §. 1. ff. d. rei vindic.*

XXXI. De cessione actionum, quid sentiendum, disquiritur, *An à creditore actio tertio cuidam cedi poßit, ut dominium in cessionarium transferatur, adeoq; liberè contra debitorem agere queat?* Si cessio non sit simulata, nec cum alterius injuriâ conjuncta, neque in fraudem, sed bonâ fide facta, non erit improbanda, juxta Anastasii & Justiniani constitutiones, *in l. pen. & ult. C. mandat.*

XXXII. De *usura lucratoria* quæritur, *An sit titulus ad dominium constituendum & transferendum habilis & idoneus?* Nos de moderamine usuræ quincuncis affirmamus, quia usura simpliciter & ἁπλῶς peccatum non est, *vid. cap. 23. Deut. vers. 20.* & quia in nummis negociatio esse, *Heig. p. 2. q. 1. n. 37. & seqq.* pecunia etiam locari potest, utique usura non poterit non valere, *ibid. num. 51.* Förster. *d. c. 8. n. 107. & seqq.* Unde in recessibus Imperii *de anno 86. c. 48.* idem approbatur. Et *in constitut. Elect. 30. p. 2.* similiter in rescripto Torgensi, tit. Von wucherlichen Contracten etc. §. Darumb so haben wir etc. quincunces usuræ statuuntur & probantur.

Et hæc de modis constituendi sufficiant.

XXXIII. Modi dominium acquirendi sunt vel Juris gentium, vel Juris civilis, §. *singulorum. Inst. d. rer. divis.* §. *fin. Inst. d. usu & habit. l. 1. ff. d. A. R. D.* qui variant pro conditione rerum, quæ summatim loquendo *vel sunt nullius*, alicujus tamen fieri possunt; *vel sunt alicujus*, quæ tamen nobis quæruntur.

Res nullius acquirimus Jure gentium OCCUPATIONE: quod enim nullius est, naturali ratione occupanti conceditur, *l. 3. ff. de A. R. D. l. 1. §. 1. ff. d. acquir. poss.* si scilicet nec proprietas, nec usus istius rei sit alieni, ita tamen ut alicujus fieri possit: quod si res commerciis & privatis hominum usibus exemtæ sint, in iis regula locum non habet. *l. 6. ff. d. contrah. empt. l. 83. §. 5. d. V. O.*

1777.

Has res, quas per occupationem acquirere possumus, commodioris tractationis gratiâ, in duo dispescimus genera, ita ut *vel* in cujusquam potestatem nondum pervenerint; *vel* cum pervenissent, dominos tamen habere desierint. De illis priori loco paucis videbimus.

XXXIV. Tales igitur sunt inter res animatas, *primò*, Volucres omnes feræ, exceptis Gallinis, Anseribus, Anatibus, *§. gallinarum Inst. d. R. D. & l. 5. §. 2. & seqq. ff. d. A. R. D.* quamvis etiam ejusdem generis feræ dentur gallinæ, anseres, anates. *Dd. comm. ad §. Apium & seqq. Inst. de R. D.* *Secundò* Pisces, qui itidem sunt feri, nisi contineantur in piscinis, vivariis aut stagnis privatis: tunc enim censentur quasi pars illius aquæ, & eos auferre non licet, *l. 2. l. 5. l. 6. d. A. R. D. l. 3. §. 14. d. acquir. poss. l. 16. d. S. R. P.* *Tertiò* Bestiæ feræ, quæ in sylvis & latibulis sese continent, ibique naturâ suâ degunt, *d. l. 3. §. 14. d. acquir. poss. §. fera. Inst. d. R. D.*

Hæc animalia fera omnia simul atque ab alio capta fuerint, Jure gentium illius esse incipiunt, *per jur. alleg.* Atque ita Occupatio continet in se tùm Aucupium, tùm Piscationem; nec non Venationem.

XXXV. Inter res inanimatas, quæ per occupationẽ acquiruntur, referuntur, *Primò*, Res omnium communes: hinc in mari & littore publico ædificium ponere licet, eique qui ædificavit, acquiritur, modò maris aut littoris conditio deterior non fiat, *L. 14. l. 30. §. 4. l. 50. d. A. R. D. l. 2. §. 8. l. 3. cum l. seq. ff. ne quid in loc. publ. cum simil.* Sed hæc hodiè non usquequaque servantur: Mare enim & littora maris, quâ jurisdictionem ad Cæsarem pertinent, *Bald. & alii Dd. in l. quadam 62 ff. d. A. R. D.* *Secundò*, quæ in mari aut littore nata editáve sunt, velut, Insula, Lapilli, Gemmæ: hæc enim si fuerint apprehensa, occupantis fiunt. Cæterùm hic etiam modus hodie nòn admodum est in usu, *sicuti Dd. com. fatentur in c. un. Quæ sint regal.* Heig. *ad §. item lapilli. n. 5. Inst. d. R. D.* referente Försthero *de domin. cap. 9. n. 69.*

XXXVI. *Tertiò*, in fluminibus publicis nata, si mobilia, sunt nullius, & ideò occupantis fiunt; sin immobilia, tum demum, si non fiant eorum, qui prædia prope ripam possident.

Sed

Sed hodie de mobilibus in flumine natis & occupatis, non observatur in Rheno, flumine Germaniæ celebri, & auro, aliave re pretiosâ ibidem repertis. Heig. *in §. item lapilli, n. 7. Inst. d.R.D.* *Quartò*, Species ex aliena materia facta, quæ & ipsa ejus fit, qui eam fecit, modò fecerit speciem, h. e. rem à priore diversam, & suo nomine; bona etiam fide, utque species ad pristinam materiam reverti nequeat; & tandem, ut species illa per se subsistat, quas conditiones refert Förster. *d. c. 9. n. 85.* ubi in fine subjicit, quod, ne quis iniquitatem aliquam prætendat, domino materiæ consultum sit de æstimatione rei amissæ per actionem in factum, *l. in rem. 23 § 5. ff. d. R. V.*

XXXVII. Sic ergò se offerunt res, quæ quidem antea in dominio fuerunt; dominos tamen habere desierunt, nulliusque censentur neque proprietate, neque usu. Tales sunt *primò* Res pro derelicto habitæ, quæ occupanti quæruntur, si scilicet dominus res suas amplius esse nolit, easdemque abjiciat, *§. pen. & ult. Inst. d. R. D. & t. t. ff. pro derelict.* Id quod etiam in immobilibus rebus locum habet, si per expressam voluntatem dominus possessionem deserat, *l. 35. l. 153. ff. d. R. J. l. an pars ff. pro derelicto. Auth. malæ fidei. C. d. præscript. long. temp.* Hodie verò res pro derelicto habitas & bona vacantia de jur. civil. ad Imperatorem & ejus fiscum pertinere, probatur, per *l. fin. C. d. petit. bon. subl. & t. t. C. d. bon. vacant.* De jure verò Sax. consuetudinario pertinent ad judicem, qui supremam jurisdictionem (die Obergerichte) habet; non ad eum, qui hereditariam (die Erbgerichte) per *text. lib. 1.* Landrecht. *art. 28. & ibid. gl. lit. B.* Weichbild. *art. 59.* Reinhard. *diss. 34. p. 1.* & Zobel. *diff. 7. p. 2.* refert, quod plerunque ex consuetudine patriæ, Nobiles succedant in bonis vacantibus suorum subditorum, *ex Guilielm. d. Benedict. in c. Raynutius, in gl. super verb. & uxorem nomine Adelasiam. n. 948.*

XXXIIX. *Secundò*, Feræ bestiæ si custodiam nostram evaserunt, & in naturalem libertatem se receperunt, quæ nostræ esse desinunt & propterea occupanti quæruntur, *§. feræ. Inst. d. R. D. l. 3. in fin. ff. d. A. R. D.* *Tertiò*, loca à mari occupata, sicut ipsum mare, fiunt communia omnium, *l. pen. ff. d. rer. divis.* Locus item in littore maris occupatus, sublato ædificio, privatus esse desinit,

& publicus fit ac nullius: unde si rursus alius in illo ædificaverit, fit ipsius, *l. 14. d. A. R. D. l. 6. d. R. D.* *Quartò*, Thesaurus, qui definitur *in l. 31. ff. d. A. R. D.* & inventori acquiritur, *d. l. 31 & §. thesauros. 39. Inst. de rer. divis.* si ipsum apprehenderit & occupârit, *l. 3. §. 3. ff. de acquir. poss. & l. 44. in pr. ff. eod. l. 15. ff. ad exhib.* & verus dominus ignoretur: si enim constet, quis dominus sit, ac probari possit, nihil inventori acquiritur, ne quidem per longum tempus, *l. 67. ff. d. rei vindicat.*

XXXIX. Hæc de rebus, quæ nullius sunt, alicujus tamen fieri possunt: succedunt Res, quæ alterius sunt, nobis tamen quæruntur. Hoc fit *vel voluntate* Domini, nempe Traditione: *vel citra ipsius voluntatem.* Traditio igitur Domini voluntate, est modus dominii acquirendi de jure gentium, quod probatur per § *per traditionem. Inst. de rer. divis. l. 9. §. 3. ff. d. A. R. D. l. 7. in fin. ff pro empt. l. 20. C. d. pact. l. 2. C. d. crim. stellionat.* modò dominus sit, qui tradit, *d. §. per traditionem. & seqq. Inst. de rer. divis. l. 20. d. A. R. D. l. 54 d. R. J.*

Traditionem autem definimus cum Förster. *d. c. 9. nu. 135.* quod sit titulus naturalis acquisitionis, qua res à domino ex justa causa alteri traditur ad dominium transferendum. *Estq; duplex*: Expressa & Tacita; itemque Vera & Ficta. *text. in §. venditæ & seqq. Inst. d. rer. divis. l. 9. §. 5. & seq. d. A. R. D. l. 74. d. contrah. empt. l. 1. §. pen. d. acquir. poss. l. 1. C. de donat.*

XL. Ut autem Dominium traditione transferatur, requiruntur nonnulla cùm *in Tradente*, tùm etiam *in Acquirente.*

In Tradente *primò*, ut possit, *arg. l. 54. d. R. J. & l. 20. d. A. R. D.* quia non omnes qui domini sunt, rem suam transferre possunt, ut constat *supr. ex th. 7.* aliqui etiam Domini non sunt, qui tamen alienandæ & transferendæ rei potestatem habent, veluti Procurator, speciale mandatum habens, Tutor & Curator. Försl. *d. c. 9. n. 138.* *Secundò* requiritur, ut velit, seu ut voluntas & consensus dominii transferendi adsit: si enim tradit Dominus, non ut dominium transferat, sed tantùm ut commodet aut deponat, dominium non transfertur, *§. item is, cum § seq. Inst. quib. mod. re contrah. obl. l. 8. cum l. seq. ff. commod.* aut si erret in re, de qua transferenda agitur, *l. 35. d. A. R. D. & l. 3.*

§. 8. ff

§. 8. ff. de cond. caus. dat. ca. non sec. dominium ab eo non recedit, & alienatio est nulla: quia nemo errans rem suam amittit, d. l. 35. Ut igitur velit transferre, necesse est, ut sciat rem suam esse, d. l. 35. & d. l. 3. §. 8. ut justa transferendi causa subsit, l. 31. ff. de acquir. rer. dom. & ut pretium sit solutum, aut eo nomine satisfactum, vel venditor fidem emptoris secutus fuerit, §. venditæ Inst. d. R. D. cum similib. Tertiò requiritur, ut tradat, l. 67. d. V. S. l. 8. ff. de pecul. l. 20. C. de pact. Hinc antequam res vendita tradatur, eam vindicare non poterit, ad quem spectat, l. 50. d. rei vindic. l. pen. C. eod. sed ex empto actionem habet, l. 40. d. act. empt. & ex empto actione conventus, quanti emptoris interest, præstare cogitur, quoniam contractus fidem fregit, l. 6. C. d. hered. vel. act. vend. l. 3. C. de his qui à non domin.

XLI. In Acquirente requiritur *primò*, Consensus, nempe ut in hoc ipsum consentiat, ut suum fiat, quod hoc animo ipsi traditur: invito enim nihil acquiritur, l. 55. d. O. & A. l. invito. d. R. J. nec erranti, l. 57. d. O. & A. si error in corpore committatur: quod si in corpus consentiant, in causis verò dissentiant, efficax est traditio quoad dominium transferendum, l. 36. d. acquir. rer. dom. junct. l. 9. §. 3 ff. eod. sed non quoad contrahendi negotium, l. 18. ff. de rebus credit. aliud siquidem est ipsa traditio, aliud contractus traditioni prævius.

Secundò, ut rem traditam animo simul & corpore prehendat; l. 1. in pr. & §. 1. l. 3. d. acquir. poss. Quod in re immobili factum intelligitur, si dominus constituit, se meo nomine possidere; aut claves tradat, l. 74. de contrah. empt. aut si custodem apponam, l. 51. d acquir. poss.

XLII. Fictam traditionem quod spectat, tradunt, quod circa dominium & possessionem idem operetur, quod Vera, per l. 2. ff. pro soc. §. 47. Inst. d. R. D. l. 10. ff. d. donat. l. 62. d. evict. Först. d. c. 9. n. 155.

In incorporalibus patientia est pro traditione, l. 11. §. 1. & 2. ff. de publ. in rem. act. l. fin ff. de servit. l. 1. §. fin. d. S. R. P. Sicut & Signatura loco traditionis habetur: quemadmodum in

sylvis arbores signari solent, quod vocant wenn man die Bäume stempelt. *l. 14. in fin. ff. d. peric. & com. rei vendit.* Aliud est in dolio vini signato, quia magis, ne summutetur, signari solet, quàm ut tradi tunc videatur, dicitur *in l. 1. §. 2. ff. d. t.* Hinc Ballæ mercatorum præsumuntur esse eorum, quorum sunt signacula, Bald. *in Auth. dos data. C. d. donat. ant. nupt.* Bartol. *in l. eum qui. §. fin. ff. d. furt.* Cæterùm quando dicitur Traditione dominium acquiri, limitant nonnulli, ut tum demum procedat, si vacua possessio sit tradita: cum traditio, ut modus dominii acquirendi consideratus, sit vacuæ possessionis translatio, per *l. 8. C. d. act. empt. & vend. l. 13. C. d. distr. pignor. cum simil.* Et quod etiam absque traditione dominium nonnunquam acquiratur: de quibus vid. Förster. *d. cap. 9. à num. 157. usq; ad num. 163.*

XLIII. Citra voluntatem domini res ipsius, facto tamen nostro acquirimus *jure belli.* Quæ enim ab hostibus capiuntur, jure gentium statim capientium fiunt, *§. item ea quæ. Instit. d. rer. divis. l. 5. § fin. d. A. R. D.* scilicet res mobiles: immobiles verò occupantibus non acquiruntur, sed publicantur, *l. 16. ff. d. t. l. 20. §. 1. ff. d. captiv. l. 11. ff. d. evict. l. 13. ff. ad L. Iul. pecul.* Et quia res mobiles hostium, statim fiunt capientium; æqualis aliqua divisio non requiritur, sed istud vulgatum valebit: qui capere potest, capiat. Boer. *decis. 178. arg. l. pen. in pr. C. d. donat.* Imò hostes ipsi fiunt capientium, *d §. item ea. Inst. d. rer. divis.* Christianorum tamen consuetudine eò redactum, ut capti libertatem non amittant, modo victori λύτρον solvant. Cavarruv. *in c. peccatum. d. R. I. in 6.*

XLIV. Acquirimus etiam res alienas citra voluntatem domini, quas bona fide possidemus: bona fides enim tantundem possidenti præstat, quantum veritas, *L. 136. ff. d. R. I.* veluti si quis nummos alienos justa de causa, bonâ fid: sumtos misceat suis, ut nequeant discerni, fiunt ipsius accipientis, *l. alieni 78. ff. d. solut.* Quin etiam rerum alienarum fructus interdum acquirimus, domino licèt invito, *§. si quis à non domino. Inst. de rer. divis.* bonæ fidei enim possessor in fructibus percipiendis id juris habet,

bet, quod dominis prædiorum tributum est, *l. 25. §. 1. ff. d. usur. l. 48. d. A. R. D.* quia verò dominus fundi omnes fructus suos faciat, etiam naturales, *l. 2. l. 6. d. acquir. rerum dom. l. solum. 49. in fin. ff. d. rei vindic.* idemque in fructuario receptum sit, *l. 7. & l. 9. ff. d. usufr.* cur bonæ fidei possessor omnes fructus suos non faciat? maximè cum plus juris habeat in fructibus percipiendis, quàm fructuarius *d. l. 25. § 1 ff. d. usuris*

XLV. Per alluvionem quoq; nobis de jure gentium res quæruntur, *§ quod si vis. Inst. d. rer. divis. l. 7 §. 1. & 2 ff. d. A. R. D. l. 9. §. 2. ff. d. damn infect.* Quemadmodum etiam Commixtione, Confusione & Conjunctione res acquirere possumus: quos modos tractat Forster. *d. c 9 n. 208* Nostrum diutius his immorari, non est: proinde animum ad modos dominii acquirendi de jure Civili convertimus, quos etiam paucissimis percurremus.

XLVI. Sic ergò sequuntur modi dominium acquirendi juris Civilis. Isto jure acquirimus res singulares corporales, & quidem citra domini voluntatem *Usucapione* seu *Præscriptione*: hodierno enim jure ejusdem sunt effectus, *t. t. C d. nud. Quir. jur. toll. t. t. C. d. usucap. transform.*

Definitur autem Usucapio, quod sit adjectio dominii per continuationem possessionis, temporis lege definiti, *l. 3. ff. eod.*

Nec naturæ adeò repugnans videtur, ut nonnulli persuasum sibi habent: cum sit bono publico introducta, *l. 1. ff. d. t.* & ut aliquando litium finis existat, *l. fin. ff. pro suo.* Quæ verò communiter omnibus prosunt, iis, quæ quibusdam specialiter utilia sunt, præponuntur, *Auth. res quæ. C. com. d. legat.* unde dicitur pium remedium, *in l. fin. C. d. fund. patrim. lib. 11.*

XLVII. Ut autem Usucapio seu Præscriptio procedat, requisita ejusdem non videntur negligenda, quorum quinque passim apud Dd. numerantur. *Primum*, Bona fides, *pr. Inst. d. usucap.* Cum enim in usucapione possessio justa requiratur, & hæc absque bona fide adesse nequeat, *l 6 & l. fin. vers. ut bono initio. circ. fin. C. d. præscript. long. temp. l. un. C. d. usucap. transform.* facilè conspicitur, quod malæ fidei possessor nullo tempore præscribat,

c. possessor. & ibi Philip. Franc. *d. R. J. in 6. c. vigilanti c. fin. extr. d. præscript.* Gail. *lib. 2. obs. 18. n. 7.* In præscriptione tamen longissimi temporis, non requiri bonam fidem de jure civili, refert Försterus *d. c. 9. num. 217.* secus de jure Canonico, itemque de jure feudali, *per jura ibid. alleg.*

Post perfectam autem usucapionem bona fides præsumitur, nec nisi per malæ fidei probationem refutatur, *l. pen. C. de evict. l. 18. §. 1. ff. de probat.* *Secundum requisitum* est justus titulus, *l. 27. ff. d. usucap. l. 5. l. 6. C. de acquir. poss.* etiamsi res incorporalis sit, veluti ususfructus & aliæ servitutes, *l. 4. & l. fin. in fin. C. d. præscript. long. temp.* Fallit tamen in præscriptione triginta vel quadraginta annorum, *l. fin. C. d. fund. patrimon. lib. 11.* Est enim tricennalis præscriptio loco tituli, *cap. 4. de præscript.* Item in præscriptione immemoriali, *l. 3. §. 4. ff. d. aq. quot. & æstiv.* ut & in Feudis, *Isa. com. in §. si quis. 2. F. 26.*

XLIIX. Requiritur *tertiò*, ut sit res non vitiosa, quales sunt furtivæ aut vi possessæ, *§. furtivæ Instit. d. usuc. l. 4. §. 6. & l. fin. ff. eod.* Quemadmodum etiam usucapi nequeunt res commercio exemtæ, ut sacræ, religiosæ, *§. sed aliquando. Inst. d. tit. & l. 9. ff. eod.* & quarum usucapio prohibita est, ut res pupillares, *l. 10. in pr. ff. quemadm. servit. amitt. l. 3. C. d. præscript. 30. annor.* res dotales, *l. 4. l. 16. ff. d. fund. dotal. l. 3. C. de præscript. long. temp.*

Quartò requiritur, ut res bona fide tradatur, si mobilis sit, *§. quod autem. Inst. d. usucap.* alioqui enim furtiva redditur, *d. §.* in immobilis rei traditione bona fides non adeò requiritur, cum illius furtum non fiat, *§. quod autem ad eas res. Instit. eod.* in incorporalibus patientia loco traditionis habetur.

Tandem *quintò* requiritur, ut possessio continuetur, *§. diutina Inst. d. usuc. l. 2. C. d. præscript. long. temp.* Continuata verò dicitur non solùm si continuè penes eundem maneat possessio, sed etiam si ab uno ad alterum legitimè transferatur, *d. §. diutina Inst. d. usuc. l. 30. ff. ex quib. caus. major.*

Hæ

Hæ conditiones tritis versibus inclusæ circumferuntur:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
Bona fides; justus titulus; res non vitiosa;
Ut res tradatur, & tempus continuetur.

XLIX. Cum domini voluntate rerum singularium dominia quæruntur de Jure Civili: *primò*, Donatione. *t.t. Inst. d. donat.* quod enim sit modus acquirendi Juris civilis, constat *ex §. fin. Inst. d. usu & habit. junct. pr. Inst. d. usuc. & pr. Inst. d. donat. & §. fin. in pr. eod.* siquidem copula Et, quæ ibi posita reperitur, repetit qualitatem præcedentem, & copulata per omnia exæquat, & illa ad uniformem dispositionem reducit, *l. quamvis. 4. & ibi Bald C. d. impub. & aliis substit.* Mortis quoq; donatio dominium ipso jure transfert, quia hujusmodi donationes ad exemplum Legatorum capiuntur, *l. 2. ff. d. publ. in rem act.* quorum dominium rectâ via transit in Legatarium. *l. 64. ff. d. furt. l. 80. ff. d. leg. 2.* licèt possessio peti debeat, & ab herede præstari, *§. 1. Inst. d. legat. l. 47. in pr. ff. d. leg. 1. l. 5. C. d. legat. Secundò*, Legato aut fideicommisso, *§. fin. Inst. per quas person. t. t. d. sing. reb. per fideicom. rel. Tertiò*, jure accrescendi *§. fin. Inst. d. donat. §. si eadem res duobus. Inst. de legat. l. 89. d. leg. 3. l. 17. ff. d. hered. inst. l. 142. d. V. S. l. un. §. 10. & seq. C. d. caduc. toll.*

L. Incorporalium rerum dominium acquiritur traditione, aut eo, quod pro illâ habetur: quemadmodum constat, quod in Servitutibus usus dominantis pro possessione, & servientis patientia pro traditione sit, *l. 11. d. publ. in rem act. l. fin. d. servit. l. 1. in fin. d. S. R. P.* Sic emphyteuticum jus constituitur quidem pactionibus & testamento, *§. fin. Inst. d. servit. §. 1. Inst. d. usufr. l. 6 ff. eod. l. 5. ff. d. servit. l. 1. C. d. jur. Emphyt.* fundum tamen Emphyteuticarium eo nomine tradi oportet, *l. 20. C. d. pact. l. 12. C. d. fund. patrim.* quemadmodum usus fructus intelligitur dari, cum fructuarius fruendi gratiâ in fundum inducitur. *l. 3. in pr. ff. d. usufr.*

LI. Per universitatem rerum dominia acquiruntur jure civili *Successione* potissimùm, tàm *Civili*, quàm *Prætoria. t. t. Inst. d. bon. poss. l. 1. in fin. ff. de muner. & honor.* Utraq; verò contingit vel ex testamento, vel ab intestato. *§. aliquando. Inst. d. bon. poss. l. 130.*

D d. V. S.

d. V. S. l. 3. §. de illo. ff. pro soc. l. 14. d. transact. l. pen. d. except. rei judic. Ac licèt testamentaria hereditas legitimo quidem jure non obveniat: lege tamen obvenire non impropriè dicitur, quia Lege XII. Tab. testamentariæ hereditates confirmantur, *d. l. 130. d. V. S.* Forst. *d. c. 9. n. 154.*

LII. Cæterum, quia *supra th. 34.* Ferarum occupationem Jurisgentium, adeoq; omnibus communem esse, diximus: quæritur, *an Principes rectè subditis interdicere venatione potuerint?* Putamus quod sic: quia Magistratui semper licuit modum privatis præscribere, quo communibus uti debeant, *l. 3. Ne quid in loc. publ.* Heig. *part. 1. q. 15. n. 36.* Invalescente autem hominum malitiâ, necesse fuit rerum communionem, ad certas necessitatum vices contrahere, ne, si omnium libidini promiscuè omnia parerent, singuli multis necessariis carerent: unde licuit, licebitq; adhuc juris naturalis æquitatem communibus & publicis necessitatibus ad modum convenientem attemperare, *l. 6. ff. d. J. & J.* Heig. *d. loc. n. 38.* Cum igitur abusi fuissent venationibus privati, ad turbandam pacem publicam: remedium malo huic convenientissimum, adhiberi necesse fuit. Prohibitiones itaq; illæ ritè promulgatæ, pace publicâ hoc suadente, *c. un. d. Pac. ten. & ejus viol. 2. F. 27. §. post natalem 4. vers. nemo retia. & ibi Fæ. com.* nempe ut lites, contentiones atq; jurgia præcidantur, quæ etiamnum hodie suboriri solent inter confines, qui jure venandi fruuntur, si fortè ab uno vulnerata, ab alio deinceps capta sit bestia, *l. 5. §. 1. d. A. R. D.* quid futurum esset, si cuilibet indifferenter venari liceret? Conducit ergò paci & tranquillitati publicæ, jus venandi non omnibus esse commune: materia enim communionis fomes est discordiarum, *l. 77. §. 20. d. leg. 2. l. 26. d. S. V. P. l. 13. §. æquissimum d. usufr.*

LIII. Et quia Principes sylvarum aliorumq; locorum publicorum facti sunt domini, *l. 9. ff. ad L. Rhod. d. jact. l. ult. C. d. quadr. præscript.* quilibet verò suarum rerum moderator & arbiter, *l. 21. C. mand. cum similib.* in tantum, ut quis in fundum alienum venandi gratiâ ne ingrediatur, à domino, si is providerit, jure prohiberi possit, *l. 3. §. 1. vers. planè, ff. d. acquir. rer. dom.* Principes utiquè

utique, quò minus alius privatus loca, venationibus destinata, venandi gratiâ ingrediatur, prohibere potuerint: maximè cùm bestiæ præsumantur illius, cujus sit territorium, *per text. Biblic.* Hierem. *c. 27. v. 6. & c. 28. v. 14.* Daniel. *2. v. 38.*

Cumq; fundamenta venationis inter alia ponantur in dominorum prohibitione, & subditorum patientia, illiq; per tempus longum tali prohibitioni acquieverint, hac patientiâ jus suum amisisse, constat: in actibus enim meræ facultatis & negativis, per prohibitionem & patientiam secutam constitui quis in possessione potest: *per jura apud Heig. d. q. n. 26. alleg.* Nec violentam illam ab initio dominorum possessionem fuisse, præsumitur: quia immemorialis temporis possessio ad vitii præsumpti purgationem sufficit, omnem sinistram præsumtionem excludit, plenissimamque securitatem parit, nullâ admissâ, de mala fide aut titulo, quæstione, *Heig. d. loc. num. 50. per jur. citat.* quibus addantur, quæ refert, *n. 42. & 43. ibid. d. quæst.* Pluribus tractant Förster *d. c. 9. n. 33. & seqq.* Speckh. *cent. 1. q. 97. per. tot. & Dd. utrobiq; allegati.*

LIV. In materia præscriptionum non minus jucunda, quàm utilis occurrit quæstio: *An jus luendi pignoris præscribi possit?* Conscendimus in partem negantem: Rationes è multis ponimus seqq. 1. Quia jus reluendi consistit in mera facultate redimentis, quo, quandocunque vult, uti potest: unde nullius temporis præscriptione tollitur, *l. viam. ff. d. via publ.* Gail. *lib. 2. obs. 18. n. 15.* Speckh. *per auctorit. alleg. cent. 2. clas. 2. quæst. 12. n. 7.*

2. Quia possidens pignus scientiam habet rei alienæ: possidet enim pro alio, *l. 13. ff. d. usucap.* nulla igitur præscriptio locum habebit; cum malæ fidei possessor nullo unquam tempore præscribat. *text. in c. fin. d. præscript. ubi Gl. & com. text. in c. possessor. d. R. J. in 6.* quam opinionem communem & in Camera imperiali sæpius approbatam, dicit Gail. *d. obs. n. 7.* Et quia hanc possessionis caussam creditor sibi mutare nequit, *l. 33. §. 1. ff. d. usuc. l. 3. §. 19. l. 18. & l. 19. §. fin. d. acquir. poss. l. 5. C. eod.* quî debitorem, quò minus oblatâ pecuniâ pignus suum recipiat, ulla temporis

1974.

præscriptione repellet? *l. 2. l. 7. §. fin. C. d. præscript. 30. annor.* Contrariis respondet Speckh. *d. q. 12.* qui videri poterit.

Hisce transeant & modi de jure Civili acquirendi.

LV. Quibus jam expeditis, de Fine, Effectibus & Contrariis dominii, breviores ducere lineas nobis methodi ac propositi ratio suadet.

Finem ponimus in certitudine dominiorum, *l. 1. ff. d. usucap.* litiumq; terminatione, *l. fin. in pr. ff. pro suo.*

LVI. Effectus principaliores cum Forstero *d. lib. cap. 11.* numeramus sequentes. *Primus* est, ut, quod jure quisq; tenet, id ipsi invito auferri nequeat, *l. 139. §. 1. & l. 190. ff. d. R. J.*

Secundus, quod dominus re suâ liberè possit uti, vendendo vel quocunq; modo alienando, *§. per traditionem. Inst. d. rer. divis. l. 9. §. 3. ff. d. A. R. D.* argumento *l. 9. C. d. judæ. l. 21. C. mand. cum concord.* nisi Lex vel salus populi resistat: expedit enim Reipb. ne quis suâ re malè utatur, *§. fin. Inst. d. his qui sunt sui vel alien. jur.* publicaq; utilitas privatorum contractibus præferenda est, *l. 3. C. d. primipil. lib. 12. l. 4. C. qui pot. in pign. Nov. 97. c. 4.* vel nisi in præjudicium tertii de re sua disponere velit. Forster. *d. loc. n. 11. per aut. ibid. add.* *Tertius* est, quod res domino suo pereat, *Dd. in §. fin. Inst. quib. mod. re contr. obl.* *Quartus* est, quod dominus amissâ possessione rem suam vindicare possit, *§. 1. junct. §. appellamus. 17. Inst. d. act. l. 23. d. rei vindic. l. 25. d. O. & A.* sed hac actione utens, duo probare tenetur; Dominium ex sua; possessionem verò ex parte rei, *l. 9. l. 36. d. rei vindic. d. l. 25. d. O. & A. l. 2. l. 23. C. d. R. V. l. 1. C. ubi in rem act.* Quin etiam actio personalis ipsi competit, veluti actio furti, *l. 47. & l. 80. ff. d. furt.* actio ad exhibendum *l. 3. §. 11. & §. 13. ff. ad exhib.* quemadmodum etiam actione in factum dominia revocantur, *l. 14. ff. quæ in fraud. creditor.* *Quintus* est, quod etiam ad excipiendum prosit, *l. 52. ff. d. acquir. rer. dom. l. pen. & l. fin. d. publ. in rem act.* in judicio scilicet petitorio: possessorio verò agenti aliquando obstat, Forster. *d. loc. n. 17. & quatuor seqq.* *Sextus* est, quod utraq; parte in possessorio pares probationes habente, ejusdemq; temporis paritatem obtinente, ea pars vincat, quæ dominium & titulum probat, *l. fin.*

l. fin. C. d. edict. D. Hadr. toll. c. licet causam. & ibid. Decius *n. 99. d. probat.* Tandem *septimo loco* ponimus fructuum lucrum: sequuntur enim jure dominii, *l. 42. ff. d. usur.*

LVII. *Contraria* Dominii sunt partim Deminutio; partim ejusdem Amissio. *Deminuitur dominium*, ademtâ dominis alienandi potestate, *vel* testamento, *l. 77. §. 27. d. leg. 2. l. 113. §. 11. & ibi. Dd. d. leg. 1. vel* conventione, veluti si quis vendat aut donet sub hoc pacto, ne res alienetur, *text. in l. ult. C. d. reb. alien. non alien. vel* Lege: si enim ipsa lex alienationem prohibeat, nihil ad aliquem transferri potest, *l. Julianus. 10. ff. d. curator. furios. dand. l. 5. C. d. Legib.*

Amittitur dominium alienatione potissimùm, & omnibus iis modis, quibus res àliis acquiruntur, *l. 1. ff. pro derelict.* item propter delictum domini, *l. 7. C. unde vi. cum simil.* furto, rapinâ, tyrannide, Wesenb. *in parat. d. acquir. rer. dom.* jure constituentis alicui servitutem, soluto, confusione prædii, & similibus modis. *Donell. 9. com. 15. & 18.* Finitur etiam quandoq; tempore: natura etenim dominii qualificati est, quod ultra qualitatem & tempus non extendatur, sed apparente qualitate ad priorem dominum spectet, *Alex. lib. 6. cons. 17. n. 13.* Demum morte perimitur: mors enim omnia solvit, *Nov. 22. c. 20.*

Plures amittendi dominii modos apud Doctores passim offendere licet, quos allegat *Forster. in t. ult. d. domin.*

LIIX. Circa finem dominii, offert sese quæstio, *An liceat tenere proprium, an verò necesse sit facultates in commune conferre?* Quoad posterius, Platonis olim in sua idæa optimæ Reipb. hanc fuisse opinionem, constat ex Aristot. *lib. 2. Polit. c. 2.* quin Anabaptistæ fanatico erroris œstro perciti, eandem propugnare, sed frustra, nituntur: deteriores sanè hac in parte ipso Platone, qui ut ejusmodi Respubl. actu sit & exerceatur, laborandum esse negabat, *referente Dn. Jacob. Martin. in disp. suis Ethic. disp. 9. q. 3.* Nos priore affirmato, posterius negamus. Communio enim dissidiorum ac discordiarum parens existit, *l. 77. §. 20. d. leg. 2. l. 26. d. S. V. P.* ad quam nemo invitus compellitur, *l. 26. §. 4. ff. d. condict. indeb.* Communio negligentiam rerum causatur, maxima-

que asportat incommoda: communia enim ferè negliguntur, sua & propria melius curantur, *attestantib. Impp. Theodos & Valent. in l.2.v.naturale quippe.C.quand. & quib.quart.pars.*

Tollè dominiorum distinctionem, tollas & virtutes necesse habes. Ubi enim manebit Frugalitas? hæc utique nulla est, ubi proprii nihil habeatur; ubi Abstinentia? siquidem nullus fuerit, qui alieno abstineat? Temperantia ubi? ubi Castitas, virtutes in utroq; sexu maximæ? ubi denique ipsa Justitia, mater omnium virtutum fœcundissima? nempe dominio sublato, & hæ quoque subvertuntur.

Et quid pluribus? non Naturæ duntaxat, sed & ipsi S. Scripturæ apertè hæc sententia reluctatur ac contrariatur. Vid. interim Forster. *d. domin. c.10.n.2. & seqq.* & Jacob. Martin. *d. disp.9.*

LIX. Coronidis loco subnectimus & hanc quæstionem: *Num princeps subditis bona auferre, vel jus quæsitum tollere possit, non refuso etiam pretio?* Putamus regulariter quod non. Est enim contra jus divinum, *Ezechiel.46.v.18 lib.3.Reg.21.v.22.& 24.* contra jus naturæ, *l.14.d.condict.indeb.l.206.ff.d.R.I.c.locupletari. eod.in 6.l.6 §. ult. ff.d.jur.dot.* contra jus gentium, quo dominia fuerunt distincta, *l.5. ff.d.just.& jur.* Pro qua sententia elegantes considerentur textus *in l.2.§.merito.ff.ne quid in loc.publ.l.12.ff.ad SC.Trebell.l.nec avus. C.d. emancip.l.3.l.7.C.d.precib.Imp offer.c.un.in pr.7.F.1.* maximè cum & ipse Princeps justitiæ sit debitor. *Andr. d. Isern. in c.un.§.quo etiam.d. prohib.feud.alien.per Lothar.* prout refert Forster. *d.domin c.11.n.4.in fin.* constitutus quippe à Deo, ut faciat justitiam & judicium, *3. Reg.c.10.*

Quod de Imperatore nostro satis expeditum ex Aurea Bulla, & Capitulat. Cæsarea, ubi expressè disponitur, Er soll die Recht/Freyheiten vnd Würde derer Fürsten vnd Stände des Reichs nicht auffheben. *Sleidan.lib.1 com.d.stat.relig.* quin ipsa rescripta, ut maximè videantur aliis præjudicare, ne tamen ita præjudicent, interpretanda sunt, *Mynsing.cent.5.obs.97.n.8.& t.t.C.si contra jus vel util.publ* unde in mandatis & rescriptis privilegiorum semper solet inseri claus. *Salvo jure tertii.*